



UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE

PRELIMINARY EXAMINATION FOR PART 1A OF THE  
CLASSICAL TRIPOS

---

Tuesday 24 April 2007 9 to 12

---

Paper 1

LATIN TEXTS

*Candidates must answer **all** questions in **Section A** and **one** question in **Section B**.*

**All questions carry equal weight.**

*Answers from **each** Section **must** be written in a separate booklet.*

*Write your **number** (**not your name**) on the cover-sheet of **each** Section booklet.*

**Candidates who do not write legibly may find themselves at a grave disadvantage.**

STATIONERY REQUIREMENTS

20 Page Booklets x 2

Rough Work Pad x 1

Tags

SPECIAL REQUIREMENTS

None

**You may not start to read the questions printed on the subsequent pages of this question paper until instructed that you may do so by the Invigilator**

## SECTION A

A1 *Translate:*

nam ut primum ex pueris excessit Archias atque ab eis artibus quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit, primum Antiochiae —nam ibi natus est loco nobili—celebri quondam urbe et copiosa atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis adfluenti, celeriter antecellere omnibus ingeni gloria coepit. post in ceteris Asiae partibus cunctaque Graecia sic eius aduentus celebrabantur ut famam ingeni exspectatio hominis, exspectationem ipsius aduentus admiratioque superaret. erat Italia tum plena Graecarum artium ac disciplinarum, studiaque haec et in Latio uehementius tum colebantur quam nunc isdem in oppidis, et hic Romae propter tranquillitatem rei publicae non neglegebantur. itaque hunc et Tarentini et Locrenses et Regini et Neapolitani ciuitate ceterisque praemiis donarunt, et omnes qui aliquid de ingeniis poterant iudicare cognitione atque hospitio dignum existimarunt. hac tanta celebritate famae cum esset iam absentibus notus, Romam uenit Mario consule et Catulo.

CICERO *Pro Archia* 4–5A2 *Translate:*

qua re conseruate, iudices, hominem pudore eo quem amicorum uidetis comprobari cum dignitate, tum etiam uetustate, ingenio autem tanto quantum id conuenit existimari, quod summorum hominum iudiciis expetitur esse uideatis, causa uero eius modi quae beneficio legis, auctoritate municipi, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. quae cum ita sint, petimus a uobis, iudices, si qua non modo humana uerum etiam diuina in tantis ingeniis commendatio debet esse, ut eum qui uos, qui uestros imperatores, qui populi Romani res gestas semper ornauit, qui etiam his recentibus nostris uestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudis daturum esse profitetur, quique est ex eo numero qui semper apud omnes sancti sunt habiti itaque dicti, sic in uestram accipiatis fidem ut humanitate uestra leuatus potius quam acerbitate uiolatus esse uideatur.

quae de causa pro mea consuetudine breuiter simpliciterque dixi, iudices, ea confido probata esse omnibus.

CICERO *Pro Archia* 31–2

A3 *Translate:*

tum deus inludens, tamquam modo denique fraudem  
 senserit, e puppi pontum prospectat adunca  
 et flenti similis "non haec mihi litora, nautae,  
 promisistis" ait, "non haec mihi terra rogata est.  
 quo merui poenam facto? quae gloria uestra est,  
 si puerum iuuenes, si multi fallitis unum?" 655  
 iamdudum flebam; lacrimas manus impia nostras  
 ridet et impellit properantibus aequora remis.  
 per tibi nunc ipsum (nec enim praesentior illo  
 est deus) adiuro, tam me tibi uera referre  
 quam ueri maiora fide. stetit aequore puppis 660  
 haud aliter quam si siccum nauale teneret.  
 illi admirantes remorum in uerbere perstant  
 uelaque deducunt geminaque ope currere temptant.  
 impediunt hederæ remos nexuque recuruo  
 serpunt et grauidis distinguunt uela corymbis. 665  
 ipse racemiferis frontem circumdatus uuis  
 pampineis agit uelatam frondibus hastam;  
 quem circa tigres simulacraque inania lyncum  
 pictarumque iacent fera corpora pantherarum.

OVID *Metamorphoses* III 650–69

[TURN OVER

## SECTION B

Answer **one** questionB1 *Discuss:*

dumque ibi perluitur solita Titania lympha,  
 ecce nepos Cadmi dilata parte laborum  
 per nemus ignotum non certis passibus errans 175  
 peruenit in lucum; sic illum fata ferebant.  
 qui simul intrauit rorantia fontibus antra,  
 sicut erant nudaе, uiso sua pectora nymphae  
 percussere uiro subitisque ululatus omne  
 impleuere nemus circumfusaeque Dianam 180  
 corporibus texere suis; tamen altior illis  
 ipsa dea est colloque tenus supereminet omnis.  
 qui color infectis aduersi solis ab ictu  
 nubibus esse solet aut purpureae aurorae,  
 is fuit in uultu uisae sine ueste Dianae. 185  
 quae, quamquam comitum turba stipata suarum,  
 in latus obliquum tamen astitit oraque retro  
 flexit et, ut uellet promptas habuisse sagittas,  
 quas habuit, sic hausit aquas uultumque uirilem  
 perfudit spargensque comas ultricibus undis 190  
 addidit haec cladis praenuntia uerba futurae:  
 'nunc tibi me posito uisam uelamine narres,  
 si poteris narrare, licet.' nec plura minata  
 dat sparso capiti uiuacia cornua cerui,  
 dat spatium collo summasque cacuminat aures, 195  
 cum pedibusque manus, cum longis bracchia mutat  
 cruribus et uelat maculoso uellere corpus.  
 additus et pauor est. fugit Autonoeius heros  
 et se tam celerem cursu miratur in ipso.  
 ut uero uultus et cornua uidit in unda, 200  
 'me miserum' dicturus erat; uox nulla secuta est.  
 ingemuit; uox illa fuit, lacrimaeque per ora  
 non sua fluxerunt. mens tantum pristina mansit.

OVID *Metamorphoses* III 173–203

B2 *Discuss:*

ille metu uacuus 'nomen mihi' dixit 'Acoetes,  
 patria Maeonia est, humili de plebe parentes.  
 non mihi quae duri colerent pater arua iuueni,  
 lanigerosue greges, non ulla armenta reliquit. 585  
 pauper et ipse fuit linoque solebat et hamis  
 decipere et calamo salientis ducere pisces.  
 ars illi sua census erat. cum traderet artem,  
 'accipe quas habeo, studii successor et heres,'  
 dixit 'opes', moriensque mihi nihil ille reliquit 590  
 praeter aquas; unum hoc possum appellare paternum.  
 mox ego, ne scopulis haererem semper in isdem,  
 addidici regimen dextra moderante carinae  
 flectere, et Oleniae sidus pluuiiale Capellae  
 Taygetenque Hyadasque oculis Arctonque notauit 595  
 uentorumque domos et portus puppibus aptos.  
 forte petens Delon Chiae telluris ad oras  
 applicor et dextris adducor litora remis  
 doque leuis saltus udaeque immittor harenae.  
 nox ibi consumpta est. Aurora rubescere primo 600  
 coeperat; exsurgo laticesque inferre recentis  
 admoneo monstroque uiam quae ducat ad undas.  
 ipse, quid aura mihi tumulo promittat ab alto  
 prospicio comitesque uoco repetoque carinam.  
 'adsumus en' inquit sociorum primus Opheltes, 605  
 utque putat, praedam deserto nactus in agro  
 uirginea puerum ducit per litora forma.  
 ille mero somnoque grauis titubare uidetur  
 uixque sequi. specto cultum faciemque gradumque;  
 nil ibi, quod credi posset mortale, uidebam. 610  
 et sensi et dixi sociis: 'quod numen in isto  
 corpore sit, dubito; sed corpore numen in isto est.  
 quisquis es, o faueas nostrisque laboribus adsis.  
 his quoque des ueniam.'

OVID *Metamorphoses* III 582–614

END OF PAPER